

**Georgi Casparis Kirchmajeri ... De draconibus volantibus, ac interspersis ex natura curiosis aliis, epistolica dissertatio. Ad vir. clariss. Dn. Joh. Danielem Majorem ... / [Georg Kaspar Kirchmayer].**

### **Contributors**

Kirchmayer, Georg Kaspar, 1635-1700  
Major, Johann Daniel, 1634-1693

### **Publication/Creation**

Wittebergae : Imprimebat Matthaeus Henckelius, 1675.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g6k8wkmc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

30.  
GEORGI CASPARIS KIRCHMAJERI, P. P.  
in Electoral. Acad. Witteb.

DE  
DRACONIBUS  
VOLANTIBUS,

Ac interspersis ex Natura curio-  
fis aliis,

EPISTOLICA DISSERTATIO  
*AD VIR. CLARISS.*

DN. JOH: DANIELEM  
MAJOREM,

Phil. ac Medic. Doct. & in inclyta Kiloniensi Holfato-  
torum Acad. Prof. P. Reverendis. Serenisimiqve  
PRINCIPIS-EPISCOPI Lubecensis Archia-  
trum Nat. Curiofor. in Germ.  
Adjunct.

*Affinem ac Fautorem Singularem.*

WITTEBERGÆ,  
Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.  
ANNO cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c LXXV.



Georgii Casparii Linnæi  
in Electorali Acad. Witteb.

DRACONIBUS  
VOLANTIBUS

Ac interpres  
EPISTOLA DISSE  
AD THEOPHILUM



DN. JOH. DANIELEM  
MAJOREM

Publ. ac Medic. ...  
Linnæi Acad. ...  
PRINCIPES ...

...  
...  
...



S. P.

MAGNE MAJOR, MAXIME AMICE :

**L**explebilis illa tua fames le-  
gendi Naturalia & colligendi facit,  
ut meritissimo quodam nomen *Helluonis*  
tibi nunc imponam ; sensu tamen optimo,  
ac planè Tulliano. Quod , quàm appo-  
sitissimè ad te pertineat, ex sequenti Con-  
sulis Romani loco disces. *In Thusculano*  
*cùm essens*, inquit ( 3. de finib. 2. ) *vellemq;* in *Bibliotheca pueri Lu-*  
*culli quibusdam libris uti, veni in ejus villam ut eos ipse ( quod sole-*  
*bam) inde promerem. Quò cum venissem, M. Catonem, quem ibi*  
*esse nescirem, vidi in Bibliothecâ sedentem multis circumfusum*  
*Stoicorum libris. Erat enim in eò (ut scis, ) inexhausta aviditas*  
*legendi, nec satiari poterat : quippe qui nec reprehensionem qui-*  
*dem vulgi inanem reformidans in ipsâ curiâ soleret legere sæpè, dum*  
*Senatus cogeretur, nihil operæ reipublicæ detrahens, quò magis tum*  
*in summo otio maximâq;* copiâ, quasi *HELLUO LIBRORUM*, si hoc  
verbo tam in clarâ re utendum est, videbatur. Nec mirum ; scien-  
tia perficit animam ; anima enim citrà scientiam, veluti caput sine  
cerebro dici potest. Hæc Marcus Cicero ; quæ in te omninò qua-  
drant pleraq;ve ; nisi quòd animo & studiis, haud moribus Ca-  
tonem agis. Loqvuntur rarâ eruditione scripta tua edita non  
rarò ; & silente me, loqvuntur. Loqvitur Holsatiæ Helicon  
*Kilonium* : loqvitur Naturæ Scrutatorum Concio florentissima  
præcipuumq;ve sui membrum colit : loqvitur admirandorum  
operum Naturæ artiumq;ve Dædaliarum horreum, quod paras.



Egone sperem Harpocratem, abs te Antagonista nuper provocatus libertate philosophicâ?

Quindecim, nî fallor, lapsi anni sunt, cùm Historiam DRACONIS naturalem Dissertationi publicæ (ut solent Academicarum Lucubrationum Præsides) Respondente DN. ANDREA CHRISTOPH. MULLERO, Med. Licent. ad hoc temporis & apud Herzbergens. Physico, Amico Veteri exposuissem. Relatum erat Româ tunc, Draconem occisum aliquem volantem, non sine vitæ præsentissimo discrimine à Venatore temerario fuisse. Quæsitum inter eruditos de relatione isthâc; ut quæ fabulæ, quàm historiæ vicinior nonnullis videretur. Res à multis negata, ab aliis probata, à quibusdam etiam relicta in suspenso. Reddidit me confidentiorem ad credendum talia, Scriptorum, quos de navigationibus in varias Orbis habitati partes expeditis legeram, memoria. Ne tamen interim imponeret credulitati fama, commodum acciderat, ut literas ad me exararet tùm in causa pedum MANUCODIATÆ (Paradisi avem vulgò vocant,) curiosissimus Vir, P. CASPAR SCHOTTUS. Videram nimirum pedibus instructas Aves istiusmodi non uno asservari loco in Summatum aliquorum Exoticophylaciis. Ut hodiè affinis culpæ error sit, statuere eas apodes cum Scaligero, Cardano, Majolo, Aldrovando, Guilandino, Nierembergio, Jonstono, aliisque. Quid ipse scripserit gratulabundus, modestia me certè mea reprimi hîc publicare. Mitto tibi potius ἀπογορευτικῶν illius, cum præsentis Schediasmate; ac ut remittas, peto reperoqve.

Præbuit officiosum ille se pararium, quò certiora edoceret postmodum ab immortalis nomine & gloriâ monumentorum celebri KIRCHERO; ut epistola significabit SCHOTTI. Erraverim nec ne cum Athanasio? ut ostendere conatus es peculiariter nuper tmemate Thesauri cimeliorum milleformium naturæ pariter & Artis, à liberalibus ingeniis condiscendorum; videbimus in fine. Non possum tamen non ingenuè fateri, in multis aliis adeò mutasse me sententiam, ut victus experimentorum ac rationum testimonio, submissè cedam veritati. Hæc me causa movit maximè, ut, nisi emendandi multa & in melius refigendi  
copia



7  
copia relicta mihi foret, mallem inter blattas sepeliri exiguas il-  
las Dissertationes separatim quondam editas de *Aquis supra cœ-*  
*lestibus, de Cœlo, de Stellis, Luce primigenia, de Luce atq; umbra,*  
*Elementis, Aere, Terra, Terræ motu, ( meteoro) Motu Terræ, ( Co-*  
*pernicano) de Sale, Mercurio, Gemmis, Fulmine ac tonitru, Nive, de*  
*Ventorum Originibus, de Atomis, de Generatione ac Corruptione,*  
*de Vita & Morte, Risu, Paradiso, Arca Noë, Raris Indiæ arbori-*  
*bus, de Montibus ignivomis, de Basilisco, Unicornu, Phœnice, Aranea*  
*& Tarantulis, de Manucodiata, Behemoth, Leviathan, Coralio, Bal-*  
*samo, Saccharo &c. & juveniles aliquot Diatribas similes Carte-*  
*fiano Sectatori Dn. PLACENTINO antehac oppositas. Dies*  
*diem docuit; postquam ἡ πρώτη & δεύτερη* *ἑρριίδες* *δεύτερη* *correxer-*  
*unt primas. Adeo humanum est errare ac agnoscere erro-*  
*rem; si quid verò boni inest, adscribere divinæ tantum gloriæ.*

Ut unum alterumqve saltem referam; multorum loco de  
Tarantulis Persarum & modo curandi harum morsus monuit  
me literis privatis *πρωτων ασσα ηγα νοον εγνω* *Olearius, ο μαχα-*  
*ρίτης.* De Unicornu veriora tuaserat *Olaus Wormius, ο πανυ.*  
Calidum innatum longè alio interpretor nunc cum *Harvejo.*  
Manucodiatam vivere ex occulto cibo aeris valere, cum *Cosmo-*  
*politia* (an *Michael Sendivogius* is est?) aliisque assero. Quanto-  
perè in aliquâ de *Loco* habitâ Dissertatione impugnavi vacuum  
possibile & actuale contra *Vacuiistas* ( liceat *Philosophorum* o-  
re loqui,) hodiernos, *Francisc. Bac. Verulam, Helmontium, Gilber-*  
*tum, Photylidem, Kyperum, Valerian. M. Capuc. Emanuelem Mag-*  
*nanum,* tantoperè me certum in illustrandâ *Aëris* condensandi,  
expellendi, rarefaciendi etiam natura reddidit de *Artificiali Va-*  
*cuo,* per *αυτοψιας,* *Magdeburgi* ante annos hos XII. Nobilissi-  
mus Vir, DN. OTHO de GVERICKE: quem, optimâ signifi-  
catione vocis, *Magum* appellare soleo, nostrorum temporum in-  
comparabilem, simulque gratias pro exhibitâ prolixâ illâ de-  
monstrandâ liberalitate maximas nunc publicè decerno. Jam  
igitur Tū pariter arietare in volatiles *Dracones* niteris & sale  
plurimo fricare illas belluas? Cogor, tam amicè laces-  
situs, per has horas submissivas respondere. Age, quando ita vio-  
sum est, ut invicem experiamur, fiat.



# DE DRACONIBUS VOLANTIBUS

Διάσκεψις.

*Dracones volatiles Chinesium in ludisro exhibiti.*

**A**Sfertor volatilium Draconum documenta talia videbar mihi attulisse quondam, cum id agerem, ut erueretur veritas naturæ, quæ non referri mererentur inter ludicra phænomena Chinesium. Quæ verò illa? An Dracones istiusmodi volantes, quales exhibet (in Chinâ Illustrata p. 137.) Kircherus, pedibus Sinensium Idoli summi FE aut FU substratos? An verò tales quales memorat Schvynterus (in Deliciis Mathematic. part. 12. quæst. 25.) Harsdorfferus pariter, ac Schottus: (Lib. XX. Mag. Nat. c. 10.) *Quedam*, inquit, *extant non spernenda subtilitatis experimenta, ab omni mistura additamento secreta; quæ non injucunda fore putavimus ingeniosis artificibus. Extat artificium, quod DRACO VOLANS, vel Cometa sidus dicitur. Cujus talis sit constructio. E subtilioribus harundinum paxillis quadrangulum constituatur, ut longitudo latitudini hemidiæ sit proportionis: diametri duo, & ex oppositis partibus vel angulis immittantur, quarum intersectione funiculus alligetur, & ejusdem quantitatibus cum duobus aliis jungatur è capitibus machine provenientibus. Sic papyro & subtili lino obtegatur, ne quid sit in eâ grave: inde è turris, montis, vel altiori loco fastigio equalibus & uniformibus ventis credenda. Laternam aliqui suprâ locant, ut Cometa videatur, sclopum alii charcâ & pyro pulvere involutum, & cum in aere quiescit, immittitur per restim funiculus, accensus annulo, vel lubrico aliquò: statimq; velum petens ignem ori admoveat maximq; tonitru in plures disilit partes machina & ad terram procumbit, &c. Si verum est, quod ex Martini Martini *αὐτοψία* refert Schottus in *Ærotechnica*, Religiosi Sacerdotes è carceribus hoc usi stratagemate se liberârunt ibi apud barbaros. Sed rem putemus extra jocum. Alatos ac volatiles Serpentes & Dracones in aliquammultis regionibus fuisse observatos, Historicorum pariter & testium ex *αὐτοψία* fide olim confirmavimus. Alas eorum autem *pinnatas*, non *pen-natas* appellavimus. Sic Vespertiones alarum pinnatarum beneficio volare, pariter ac solent illi pisces, de quibus postea dicemus, in confesso est. Provocamus ad sequentia. Apud*

*Veri ac naturales passim observati, pinnati.*

*Matthe-*



*Matthaeum Merianum* in Hist. Antipod. part. 2. p. 211. *Johannes Ludovicus Gottofridus* scribit: Unter andern aber war ein geflügelte Schlange gebraten / dessen sie sich höchlich verwunderten. Sie (serpentes isti ab Americanis capti atqve devorati,) sahen so erschrocklich auß / daß sie die Spanier nicht berühren wolten. *Diligentissimus Lustrator Orientis Joan. Jacob. Breuning. C. 26. p. 166.* in der Orientalischen Reise / anderer Meerfarth: *Vidimus, inquit, inter alia quendam supra modum pregrandem amplissimumq; serpentem bipedem, geminis instructum alis, quales vespertilionis esse solent.* Audiatur etiam *Hieronymus Benzo* in Hist. Nov. Orb. & Gallorum in *Florida* navigatione c. 4. p. 480. *Observavi, ait, quendam ex nostratibus non procul a sylva, serpentem alatum occidisse. Haec ipsa ita affirmata erant, ut remigio earum, terram se elevare quidem ac volare, sed tamen humili volatu potuerit.* Testes oculati hi fuerunt. Admittantur alii. Non jactabimus auctoritatem *Plinii*, Latini melioris quam Historici, non *Jul. Cæs. Scaligeri*, (cui extra illam Aristotelis idololatriam, plurimum tribuimus,) qui (exerc. 183. sect. 5.) in *Narsinga* Regno alatos angues arboribus insidentes memorat; non *Ambrosii Paræi*, Chirurghi Regii Parisiensis (l. 1. Oper. Chirurg. f. 51.) nec *Job. Euseb. Nierembergii* (quem non sine causa magni semper fecerat *Sperlingius* ὁ μακαριστερὸς noster) consensum implorabimus, ex 12. Hist. Nat. c. 36. f. 282. Sed testem ἀξιόπιστον summumqve *Bartholinum* Thomam producemus, qui tractatu Patavii edito de Unicornu (c. 7. p. 50.) cum icone ex *Tobiaz Aldini* musæo distentum exsiccatum alatum prodidit Draconem. Misit ejus sceleton Rex Galliarum LUDOVIC. XIX. *Francisco Barberino* Cardinali. Sistemus etiam *Kircheri* testimonium (l. 8. Mund. subt. Sect. 4. c. 2.) de occiso immanissimo Volatili Dracone per Equitem Gvasconem apud Rhodienses. Sed nec alterum illicò rejiciendum planè, (quoniam in unâ aliave circumstantia levior dissensus fortè observatus est,) quod ante XV. hos annos contigit



tigit exemplum Romæ, industriâ illius consignatum, & rela-  
tum aliundè. Quo de separatim infrâ in ἀνασκευῆν agemus.  
Rectè igitur (in Hist. Animal. part. 4. c. 5.) D. Franzius scribit:  
“Verorum Draconum due sunt species. Quidam quibusdam mem-  
“braneis pinnis sunt alati, quibus sunt ala non ex pennis, sed membra-  
nis, in dorso instar pinnarum &c. Sed in eò minus cautè Fran-  
zcius (part. 2. H. A. c. 28. p. 570.) à præsentia alarum atq̃ve ex vo-  
latu arguit mox avem. Sic enim de Vespertilionè judicat:

Ex alis tamen Vincit illorum sententia, qui Vespertilionem inter aves referunt:  
non mox ar- tum quia volare proprium dicitur avium, tum quia binos tantum  
guenda avis. pedes habet. Hæc si collectio valeret, Dracones bipedes vola-  
Dantur pisces tilesq̃ve pariter annumerari avibus deberent. Quin & pisces  
volatiles in- aliqui; Pisces inquam. Volatiles nimirū pisces dari, omni ca-  
genti numero. ret dubitatione. Scaliger Cardanomaſtyx testis (Exerc. 223. f. 4.)

Volantium piscium cadavera à te visa scribis. At vivi nobis con-  
specti sunt. In mari Veneto, Venetias inter & Ravennam, duo-  
bus suprâ Quiozam milliariibus, Anno Christi 1550. captus est pi-  
scis volans, Ambrosio Pareo referente (lib. 24. Chirurgic. oper.  
p. 736) Andreas Thevetus in Cosmograph. memorat, dum novum  
navigando obisset orbem, infinitos pisces volantes, incolis Syl-  
vestribus Bulambeck dictos, apparuisse sibi; qui ab aquis subsi-  
lientes, quinquaginta passus volando perrexerunt, & sæpissimè  
ad vela malumq̃ve impingentes, nautarum circa evaserunt. Item  
à Jobanne Lerio in Historiâ Brasiliâ confirmatum legimus.  
Normanni, Duce Nicolao Durentio Villagagno, Melitensi Equite,  
volantes pisces numero innumero deprehenderunt. Vid. in  
Hist. Antipod. ap. Merianum Gottofredus p. 318. & conf. Itin.  
Generos. Dn. à. Neitzschiz part. 4. c. 1. p. 348. In China etiam fa-  
miliares esse, didici ex Neubosio, (in Descript. Regni Sinens. p.  
380.) & Sinensi Florâ. Adde his confessionem Amici proxi-  
mâ necessitudine conjuncti mihi, C. N. W. M. C. Sic ille in li-  
teris, haud ita pridem mihi iusto seriùs exhibitis gratisimis, ex  
Indiæ Orientalis Insula Java Majore scriptis, cum ephemer-  
dem itineris signâisset, inter alia, den 25. Martii hatten wir die  
Höhe des Poli Antartici 1. gr. und stunden grosse Hitze auß / so /  
daß wir kaum Arhem schöpfen kuntten; den 5. Aprilis hatten wir  
die



die Höhe von 3 gr. aber gar keinen Wind. Den 6. Dito waren wir bey der Insul S. Matthæi, und fiengen allhier sehr viel fliegende Fische/welche in unser Schiff flogen/uud darauff niederfielen: ist ein sehr gut Essen &c: Hos pisces volatiles, quis quæso avibus, intuitu volatûs, accenseret? Sed transeant, & transigant cum veritate prius, *Franzium* qui hâc sequuntur parte. Nobis certo sedet certius, annumerari inuribus debere *Vespertilionem*. Neque enim animal oviparum; viviparum existit. Non pennis, ac pinnis potiùs ac pilis gaudet. Quin etiam mammas habet, lac, & pullis idem præbet, nec suis caret dentibus. Adde asininas quoque aures. Mintrat denique, ut mures alii. His ita se habentibus, dispiciendum est cum maxime, quid Amicissimus Antagonista in continuatione operis Admirandorum Naturalium ac Artificialium regesserit nuperrime. Negat videlicet (1) *Alatos uspiam Dracones dari à Natura*. Negat (2) *si vel maxime darentur, tam vasto & prægrandi eos corpore existere, ut homines, aut animalia majora devorare valeant*. Negat (3) *volare eos posse, si statur à tam enormi atq; pondere præstarent*. Negationis rationes pensitabimus deinde. Nunc generatim dubia hæc æstimanti mihi incidit iudicium non unum. Primum illud: *multa hætenus pro veris & penè oraculis videntur habita in rebus naturalibus, quæ nihilominus absurda sunt & falsa*. Alterum hoc: *Multa hætenus pro falsis atq; fabulosis habita, quæ tamen sunt, fuerunt, erunt etiam certissima in sese ac verissima*. Tertium ex utroque consecratium: *rei naturalis veritas non pendet ab imaginatione hominum & credulitate*. Illustrandi causâ ibimus per singula, priusquam speciatim ad Volatiles Dracones descendamus.

*Vespertilio non annumerari debet a vivibus.*

De rebus naturalibus in sensus non apertè incurrentibus addubitare primò, interest prudentiæ & ipsius veritatis. Quid in vitâ, quid in doctrina etiam frequentius, quàm fallere ac falli? Hinc illa inter Aristotelis Interpretes dissidia & æternæ lites. Hinc factum, ut nobilissima scientiarum Physica, nil aliud propemodùm, quàm variarum sæpiùs vix probabilitatum, aut opinionum de Naturâ Chaos facta. Hic effectus ille, cum ad hominem plus, quàm tyrannicè philosophari nitimur. Post-

*Notatur Aristotelica tyrannus,*



NB

ritas vix credet, tot in Germaniæ Academiis, in tantâ rerum luce, tot aliâs ingenio, judicio, & scriptis nobilissimos vixisse Viros, qui tam addictè tamen *Aristotelis* & aliorum spurum lincerint, ut terminorum & distinctionum somnia innumera excogitârint; ne scilicet erroris aut absurditatis posset argui homo unicus, Græcus, paganus, divinarum omnium malitiosè ignarissimus. Poterat nimirum ire altius, ut optimus magister *Plato*, si voluisset saltem; aut si noluisse datâ operâ priores optimos antè se Philosophos *Anaxagoram, Democritum, Thalesem* aliosqve oppugnare. Tantum abest, ut pro normâ, aut idoneo saltem teste, quiqve sit exceptione major, Aristotelem in *Physicis* haberi posse credam. In *Physicis* dixi. In illis enim quæ ad Organicam, ex parte Ethicam, & Politicam inprimis Disciplinam pertinent, admiror, laudo Aristotelis ingenium industriamqve. Et jamdudum est, quò de possessione illâ illum deturbârint sapientes.

*Laudatur studium experimentale*

*Illustrissima Societas Regia Anglicana.*

Secundum potiùs & magnificandum medium EXPERIMENTALE. Quod ut Democritus, Hippocrates, & alii ante tot secula, ipsumqve ante Aristotelem excoluerunt; sic mirum non est, cur hoc nostro ævo in hac via regia incedant regii & egregii Philosophi. Æternis vehenda plausibus Anglorum natio felicissima hoc nomine, quòd propter studium Naturæ artiumqve humanarum successibus pulcherrimis locuplerandum sub auctoramento Regis Invictissimi CAROLI verè SECUNDI, alterius cujusdam PTOLOMÆI aut ALPHONSI, Illustrissimam Societatem iniit ex DUCIBUS, Archiepiscopis, Episcopis, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Doctoribus, Armigeris, Nobilibus, Mercatoribus, ac Peregrinis. De qu. vid. Acta Philos. Societ. Reg. in Anglia ad Ann 1667. ap. Cl. *Henr. Oldenburg.* p. 163. Ab eo inde tempore, paucissimorum scilicet annorum, talia detecta novimus, qualia intra annos amplius sexcentos nemo legerit inventa. Expende, & miraberis; sed ne sine gratâ VERULAMII memoria! Erit annuente DEO tempus, quo incomparabile hoc institutum publico præconio celebraturi sumus alibi.



Ut pauca pro exemplis afferamus, transeant figmenta absurdissima de Orbibus cœlestibus realibus & Orbium motricibus Intelligentiis, de soliditate cœli atq̄ve immobilitate, de aliis farinae hujus nugis; quis non velut pro principiis, certè pro historiis indubitatis olim habuit, Unicornu Indicum Arabicumve esse, quod à marinis piscibus è *Grönlandia & Norvvegia* copiosum aliàs affertur, nisi fraudem tam invictis detexisset rationibus *Olaus Wormius* in Muséo. Quis non admiratus est & inter præsentissima alexipharmaca numeravit *Bezoar*? Hunc tamen Lapidem ex India Orientali ad Pharmacopolia nostra non deferri, sed ab Hebræis Lusitanis ex magisteriis plantarum saliumq̄ve confici, ingenuè *Zovelforus* confitetur & ostendit in append. animadvers. ad Pharmacop. August, f. 65. Et docuit *Patinus Guido*, Pater, Medicus Parisiensis in de Peste libro. Ut nihil hic de *Hieronymo Rubeo*, Ravennate, Archiatro Pontif. Rom. (in Comment. ad *Cels.* l. 3. c. 7.) nihil de *Martiano*, Medico Romano, (Comment: in Hippocr.) nihil de *Aloisio Mondella*, (in exam. simpl. medicam.) nihilq̄ve de *August. Thonero* (Lib. 1. observ. Med, p. 26.) dicam. Ad candorem tuum provoco, Vir Experientissime, ut arbitreris, quantæ sint pecuniarum, atq̄ve utinam non sanitatis sæpè etiam decipulæ *Coralliorum & Perlarum* magisteria! propter menstrui liq̄vores vix omninò separabiles quantalibet humanâ arte. Sed heus porrò! potesne solvere iterum præcipitata semel magisteria *Perlarum, Coralliorum, & similia* &c.? Vide, ne tibi obstat acidum, & pro thesauris relinquat caput mortuum? Laudo potius simplicia, & ingenuam confessionem iterum *Zovelferi*, append. ad animadvers. Pharmac. Aug. p. 38. & judicium Dn. D. *Wirdig.* in libello eruditionis reconditionis (si anomala nonnulla eximas) plenissimo, Lib. 2. de Medicin. Spirituum c. 19. Nihil de Lapide Fulminari addo; quem tu inter errores seculorum jure numerasti. Contrà, ut ad alterum judicium respiciamus nostrum, quovusquisq̄; *Circulationem sanguinis* ante celeberrim. Harveum pro vero infallibiliq̄ve dogmate agnovit? Et jam in plantis æq̄vè ac arboribus hanc *succi nutritii circulationem* demonstratam à MAJORE Nostro esse, quam lætor, cum intelligo. Quis de *Chirurgia infusoria* &

*Fabula ad fraudes circa Unicornu,*

*Lapid. Bezoar.*

*Quæritur: quid tribuendum magisteriis Perlarum & Coralliorum?*

*Quid lapidi fulminari? Multa è contrario pro absurdis habitata, quantumvis necessariò sint vera.*



*Chamaleon  
ex aere vi-  
vit, & colo-  
rem candidū  
assumit aqvè.*

*Pestis ex pu-  
tredine ac  
vermiculis.*

*Mirabilia  
phenomena in  
muscis, urti-  
cis, tineolis.*

*transfusoria*, per immisionem purioris sanguinis aut liquoris varii in corpus morbidum ante *D. Christophor. Wrenium* insignem Mathematicum & *Timotheum Clarckium*, Ordinarium Reg. Maj. Medicum in Angliâ, vel somniando cogitasset? Quis ante *Pecquetum* felicissimam *Thoracicorum ductuum* inventionem, quis ante *Thomam Bartholinum* ac *Rudbeckium* (addo & *Johannium*) cum scrutarentur *Lacteas*, fortuito in notitiam *Lymphaticorum Organorum* inciderunt; quis, inquam, vel probabilia hæc habuisset? Chamæleontem assumere colores, candido excepto, omnes, & ex aëre duntaxat vivere, creditum huc usq; semper fuit. Sed vide contrariam utrinq; relationem veriore ap. *ἀυτόπτην Kircher.* (Lib. 1. de Luc. & umbr. part. 3. c. 7.) Jam, quis non inter fabulas aniles posuisset autem *Athanasium Kircherum*, pestilens contagium, (quod Anno 1657. trecenta ferè hominum millia intra spacium semestris jugulaverat *Neapoli*, *Romam* postea afficiens immani strage,) ex innumerabili vermiculorum è putridis corporibus scaturientium pullitie exortum esse, nisi microscopia secretum istud prodidissent? (Vid. *Kircher.* in *Scrutin. de Pest.* Sect. 1. c. 7. §. 1. & 2.) In aceto, sanguine ac lacte innumerorum vermium examina observavit idem. (Lib. 10. de Luc. & Umbr. part. 2. c. 8.) Quid? quòd invenias Naturam etiam in minimis (*Gasp. Schotti* monitum hoc ex ind. Istriâ *Kircheri* esse, scio, in *Mag. Nat. & Art.* Tom. 2. part. 1. Libr. X. Syntagm. 4. c. 2. p. 537.) exhibuisse tauros, equos, canes, feles, asinos, aquilas, anseres, aquatilia omnis generis. Quid *pulex aliud, quàm locustam sine alâ refert? Pulos quovq; seu capillos in canales tubosq; inclusos cum stupore videas.* Vidimus in transitu apud ingeniosissimum *Weigelium* per exquisita microscopia, quæ Anno 1665. exhibebat *Jenæ* in *muscis, culice, arenulis*, & *urticâ* mirabilia phenomèna. Pulvisculus tineosus casei aut pili, atomus videri posset potius, quàm ex plusculis constare partibus. Sed ecce! animalculum 6. pedib; instructum, capitulo rubro, rostro veluti porcino, ocellis nigricantibus, corpore posteriori quadrato & omninò albo diaphano, tergo largis pilis hispido. Quum parit aliàs tineolas 4. vel 5. matrem adsectantur undiq; & adhærent ejus corpori, pilis undiq; innexæ. Dixeris hoc minimum naturæ esse,



esse, inter animalia, à peritis, artifice, de *Piere* observatum.

Eant nunc, & jurent Jovem Lapidem, qui veteres errores deperire, quàm admittere veritatem malunt, aliter se ista omnia habere. Clament: *nova, nova isthac esse*, quæ indè à mundi conditu fuerunt vetera ac vera. Audiant hi potiùs elenchum *Ristiam* (in *Stultit: nobiliss. p. 173.*) admitant etiàm hoc consecrarium: *Veritatem rerum naturalium nullatenus pendere ab imaginatione hominum & servili aliquà credulitate.* Lubet huc adferre lepidum ex *Linemanno* locum, qui in *Deliciis Calendariographicis* (qv. 7. ad ann. 1644) pro libertate Philosophica adversus cerebrofos istos homines sic scribit: *Solche Philosophi gemahnet mich wie jener Landmesser/der 20. Jahre Land gemessen hatte/welcher/da ihm ein ander seinen täglichen Irrthumb zeigen wolte/sprach: ich bitte/man wolle mir solchen Irrthumb nicht entdecken/sonsten wo ich ihn verstehen würde/wäre ich in meinem Gewissen überwunden / daß ich niemand in XX. Jahren hätte recht gemessen/welches mir ein grosser Schimpff seyn solte.* *Causam istiusmodi errorum esse, rectè arbitratur in singulari opere Operatric. Idear. defens. Job. Marcus Marci, quòd hi de Naturà disputant, Naturà inconcludà, quàm credunt opinionibus mutari suis posse.* Si tamen propiùs Naturam adspexissent, & opera illius artis, quàm ipsi oderunt, & ad cujus nomen horrent, sine quà nequit conspici Natura nuda & sine veste, qualisqve suis amatoribus videri solet, consulissent, quàm aliter essent affecti! quàm puderet opinionum suarum! quàm detumerent in suà inani & falsà Philolophia! Uno ictu rueret in antiquum Chaos cum suis fundamentis Physica illorum. *Quid quæso dicerent hi tanti Philosophi, pergir idem, si plantam quasi momento nasci in vitreo vase viderent, cum suis ad vivum coloribus & rursus interire & renasci. idq, quoties, & quando luberet? Credo Demonium arte magicà inclusum dicerent illudere humanis sensibus.* His igitur præmissis, (pro responso generali forsitan sufficientibus,) quid circa historias volantium Draconum monitum à DN. MAJORE fuerit, executiamus speciatim. Negat videlicet volatiles *Dracones* in Naturà esse. Rationes exhibet: quia (1) *defectu*

*Notantur non  
vorum experientorum  
contemptores.*



αὐτοψίας hac sententia laborat: (2) nullus in universo orbe angulus ostendi potest, in quò hac species reperiatur abundanter: (3) relatio Romana de occiso Dracone aliquo volante, propter varietatem circumstantiarum aliquot, suspecta est.

Confirmatur  
aliis experien-  
tiis Draco-  
num volanti-  
um veritas.

Quod ad primam attinet objectionem, responsum antea, fuisse à permultis occisos, visos etiam, vivos pariter ac mortuos Dracones istiusmodi volantes. Addimus *Bellonium*, qui (l. 2. c. 70.) ex Arabiâ in Ægypto alarum beneficio delatum descripsit accuratè: *Cysatum*, qui αὐτόπτης in Helvetia monstrum immane, ingens, tale visum per circumstantiâs depinxit omnes, apud *Kircher*. (lib. 8. Mund. subt. Sect. 4. p. 94.) & capitis illius magnitudinem cum eqvino, figuram cum serpentino, sine contradictionis metu comparavit: *Gesnerum*, qui (in append. Hist. Animal. Lib. de Dracon.) Tempore *Francisci* I. Galliarum Regis non procul à *Rupella* occisum à rustico, visum à Rege, doctis, aliisque fide dignis viris prægrandem ac volatilem serpentem memorat fuisse. Iconem ejus vide loco allegato, (pag. 43.) In Ægyptum ex Arabiâ & Æthiopia prolixo numero quotannis advolare bestias hujusmodi, quæ immanem passim dent stragem, idem ibidem Autor est *Gesnerus*.

Ubi habitent.

Locum habitationis si requiras, deserta ab hominibus & saxosa montium crepidinesque imminentium rupium & subterranea antra esse, loquitur experientia. In *India*, Orientali maximè, Draconum numerosam in sylvis, vallibus, convallibus, palustribus deprehendi multitudinem, non tantùm inter Veteres *Philostrati* ac aliorum, sed ex scriptoribus nostri ævi unanimis consensus docet. Exempla & Autorum loca postmodò uberiora afferemus. Præ cæteris, Æthiopia, Nubia, Lybia, his belluis infames. Jam quid de Pyrenæis, de Alpibus, de Helvetiæ, Tyrolensium jugis aviis que horribilibus dicemus? Draconum in Carpathicis Scepusiensis Comitatus montibus cavernas prodidit & simul subiit paucissimos ante annos Dn. *Job. Paterson Haibn* Eperientis in Hung. Sup. Medicus insignis, magnamque ossium copiam ad fluvium *Dunajec* in speluncis reperiri, lacte Lunæ obrutorum, non observavit saltem, sed ossa horum plura transmisit in Poloniam ad juniorem *Lubomyrscium*, & in Silesiam

Antra horum  
subiit in Hung.  
*Haibnius*.



ἀνὰ τὸ πρῶτον Δν. *Sachsum*; testibus *Ephemerid.* *Curios.*  
*German.* (observ. 139. p. m. 257. & observ. 194. p. 366.) Alia, qui  
 vult, loca lustret, ex *Leone Africano*, ex *Johanne Stumpffio* pro-  
 ducta à *Gesnero*. Tertia in contrarium allata ratio vacillat. *Va-*  
*riant nimirum circumstantia nonnulla: E. nulla est historia illa, atq;*  
*fabulosa species Draconum.* Hoc si consequeretur, ruerent histo-  
 riæ verissimæ in sacris & profanis; dum circumstantiæ loci, tem-  
 poris, conditionis, sæpenumerò referuntur aliter. Conceda-  
 mus tamen minùs vero consona scripsisse in novellis istis narra-  
 torem; an propterea sublestæ fidei coarguendus *P. Athanasius*  
*Kircherus*, in re manifestâ, Romæ accolis notissimâ? Sed ponat-  
 ur, aliquid humani hîc intervenisse etiam; an ideò, quæ aliun-  
 dè certa sunt, negari penitusq; rejici merentur? Jam ad secun-  
 dum ΔΝ. MAJORIS accedamus ἔγκλημα. *Negat nimirum,*  
*si vel maximè darentur, tam vasto & immani eos corpore existere,*  
*ut homines, aut animalia majora devorare possint.* Liceat pensare  
 sales salibus. Hæc cum legissem primò, incidebat mihi locus  
 apud *Franciscum Redi*, Italum curiosissimum della *Crusca* Aca-  
 demici, ut constat, sequens: *Indies*, (scribit ipse ad *Laurentium*  
*Magalottum*, in observationibus de *Viperis*,) *magis magisq; con-*  
*firmor in meo proposito, nolle me fidem dare rebus naturalibus,*  
*præterquàm in eò, quod meis propriis ego vide-*  
*rim oculis, & nisi per iteratam & rursus repetitam experi-*  
*entiam idem confirmatum veniat.* Sed si juxta *Cartesium*, nec  
 sensibus, vel semel nos decipientibus, habenda ampliùs est fi-  
 des; quis tandem veritatis arbiter evadet? Quisquis sit; Maxi-  
 mum custodiat MAJOREM Nostrum Numen, uti nunquàm  
 belluis immanibus his tam vicinus uspiam existat, ut videre vi-  
 vas atq; volitantes possit. Periculum devorandi quippe subest.  
 Sed jam ad seria.

*Defenditur*  
*P. Kircherus.*

Defendendus Optimus Præceptor hîc SPERLINGIUS. Sic  
 ipse in appendice Zoologiæ, (c. 2. de Dracone qu. 1.) quæ nutri-  
 tio illius sit? respondet: *Vescitur carnibus & cadaveribus. Tanta*  
*in eò voracitas, ut una vice totum cervum consu-*

*Et B. Sperlingus.*

*mat.*



*Draconum  
magnitudo.*

*Asseritur à  
variis stupen-  
da.*

*Mat. Fame compulsus, homines etiam aggreditur, necat, de-  
vorat. Et quæst. 2. Quenam generatio? Respondet: magnitu-  
dinis stupenda est; & alius XX. cubitos, alius XXX, alius XL. lon-  
gus. Nicephorus tam miranda magnitudinis Draconem describit,  
ut illum interfectum octo paria bouum vix loco movere potuerint.  
Quem, ut ne aërem inficeret, interfectum combusserunt. Non ad-  
vocabimus ad faciendam fidem tantum Plinium; quem nihilo-  
minus cum viris veris vera referentem expeditius quis rideat,  
quam ut refutet. Ipse scilicet octavo H. N. quarto decimo, Li-  
vius deinde Lib. 18. Gellius ex Tuberone, 6. Noct. A. 3. Florus l. 2.  
c. 2. & Val. Max. l. 8, 29. nec non Silius Italicus lib. 6. Punic. ad  
fluvium Bagradam, tantæ magnitudinis (C. nempe & XX. pe-  
dum longitudinis) Serpentem obstitisse Regulo Attilio in Afri-  
cam moventi scribunt, ut usu amnis prohibuerit exercitum illi.  
Svetonius in Octavio testatur, eum populo spectandum publi-  
casse angvem L. cubitorum in Comitio. Auctor Dio est lib. L.  
vilum in Hetruria bicipitem serpentem, longum pedes LXXXV.  
Adi etiam Philipp. Caroli ad Gell. & audi Diodorum Siculum, pro-  
vidum, si quisquam inter Græcos veteres, Historicum ex libr. 3.  
Biblioth. c. 37. Non ideo fides deneganda, inquit, est Æthiopibus,  
aut statim pro fabula accipiendum, quod ab illis dicitur. Me-  
morant enim tam vastos apud se angves conspectos esse,  
ut non solum vaccas & tauros, aliasq; tan-  
tæ molis bestias deglutierint, sed cum Elephantis  
quoq; conflictati sint. Adduxerat videlicet istius generis imma-  
ne monstrum tale Diodorus antè.*

*Draco & an-  
tiquus serpens  
quomodo dif-  
ferant.*

*Nec est, ut offendamur nomine serpentis, pro Dracone.  
Dracones sunt in rerum natura, inquit D. Franzius (part. 4. Hist.  
Animal. c. 5.) sed nihil sunt aliud, nisi serpentes, valde annosi, & au-  
cti admodum. Hinc exitit vulgatum verbum: serpens, nisi  
serpentem devoraverit, non fit Draco. Nec nisi  
per singularem emphasin, ὁ δράκων μέγας, καὶ ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος  
dictus Satanas ab Apocalypticò Scriptore, c. XII, 9. Aloysius Cada-  
mustus*



*mus* Navigationis suæ cap. 28. (ubi de Senega, regione Africa apud Nigritas loquitur,) *ibi, inquit, inveniuntur serpentes tantæ vastitatis, ut integras capras hauriant, nec lancinent; solidè devorantur.* Adeone condiemus salibus hinc quo-

*Animalia media ac majoris quantitatis, devorant.*

que bestias, in frustra nondum laceratas; devoratas interim? ceu ludibundo calamo notavit MAJOR festivissimus §. 4. cap. 4. *Cæsar Scaliger* (Exerc. 183. Sect. 6. atque iterum Comment. in Aristot. Hist. Animal. l. 2. c. 18. sect. 122.) in *Macra serpens spectaculo fuit mortua ingenti longitudine: tam crassa, ut utrimq; sedentes in equis contueri inter se nequirent: biatu tam vasto, ut equi auditus esse posset. Squama clypeorum orbibus pares. Ad Cathaijam, quæ pars ultima Scythia est, quinquagenum pedum serpentes esse, denos pedes implere crassitudine, ungues leoninos habere sine pedibus, proditum est: oculorum orbem pedum ternum, tam grandi biatu, ut hominem integrum excipere valeant: formidini esse ceteris omnibus animantibus, etiam Ursis & Leonibus, quos noctu invadant & conficiant. Conf. & *Euseb. Nieremb. lib. 12. Hist. Nat. c. 39. Gerb. Voss. 4. de Orig. Idololatr. 53. Serpentes in Carajan Tartariæ Orientalis M. Paulus Venetus* (l. 2. c. 40.) tantos esse asserit, ut ursos quoque abliguriant. Vid. etiam *Erasm. Francisc.* (l. 3. im Außländ. Kunst- und Sitten- Spiegel c. 40. p. 1459.) Apud *Mandeslovium* (in Itinerar. l. 3. de Insula Java ubi agit, f. 210.) memorantur tantæ magnitudinis serpentes, ut canes puerosque hauriant. Quibus planè gemina sunt ista, quæ annis propè superioribus *Georgius Andersenius* (in Itiner. Indic. l. 1. c. 7. p. 9.) juxta Bataviam, metropolitanam Java urbem viderat *αὐτόπτης*: Die Schlangen sind allhier so groß/ daß Sie auch Menschen verschlingen können / wie ich selbst gesehen/ daß einst ein Javaner eine Schlang gefangen und auffgeschnitten/ lag ein halbverweseter Menschen Körper im Bauch. Adipariter *Volquardum Jversen*, relat. ap. *Olear. l. 4. Itin. Indic. c. 4.**

Quæ cum ita se habent, quid causæ est, cur in dubium trahamus lepideque impugnemus magnitudinem serpentum & Draconum, homines & bruta vastiora quoque invadentium? Causam indagemus potius, quæ fiat, quod in immensam illam molem adeò excrescant, apud Indos maximè, serpentes? Rem,

*Causa, cur in tantam magnitudinem excrescant adeò serpentes?*



nisi fallor, acut tetigit Cardanus : (lib. 9. Subtil. de animalib. p. 287. edit. Basil. 1553.) *magnitudinis serpentum causa est calor regionis. Nam serpentes durâ sunt carne, ob id in immensum crescere apti. Nam & arbores plurimum crescunt, quia densiore sunt substantiâ; sic & Elephantes. Sed serpentibus frigida natura obstabat, ob id non nisi in calidissimis regionibus illi ad tantam possunt pervenire magnitudinem. At qui nequeunt crescere calore auxiliante, necessario siccissimâ sunt naturâ, atq; ob id perniciosissimi. Sequentia, quæ loco allegato addidit Cardanus de Basilisco, necante homines obtutu, & veneni in viperis ac aliis serpentibus natura, fabulis merentur accenseri. Alia longè ratio, & quidem multiplex veneni est, quàm quæ vel ex siccitate, vel ex humiditate etiam derivari per qualitates manifestas possit. Est experimentis non Zwelferi saltem, (animadvert. in Pharmacop. Aug. p. 211. seqq. ac p. 272.) sed & Francisci Redi certiores sumus facti, venena viperarum plerarumq; iracundiæ æstro concitatarum demum concipi. Plerarumq; dixi; non ignarus nuperi in Gallia experimenti Domini Charas, Parisiis A. 1669. vid. Act. Philos. Societ. Reg. in Angl. ad Ann. prædictum. Incredibile nimirum dictu, quantum in homine bilis, quantum in bestia rabiosus furor præstet. Αξιωματικόν οὖν εἶναι hoc Generos. observavit Neitschitz in Itin. p. 134. *lethales morsus incandescentium in Candia fœminarum.**

*Vipera an venenata?*

*Morsus mulier. letbal.*

*Apud Ind. Orient. Ostrea 300. & 400. librar.*

*Vespertilion. anseribus æquales.*

*Testudines 300 & 500 libr.*

Prætereo Draconem illum immanissimum, quem à Monacho occisum refert P. Athanasius Kirck. in Historia Eustachio-Mariana. (part. 4. p. 140.) Nec miror granditatem istiusmodi serpentum, nec aliorum extra Europam animalium solito majorum. Ecce Ostrea librarum 300. in communi apud Indos! teste Mandeslovio; (l. 3. de Insul. Jav. p. 210.) B. Olearium admittes, scio: Ich habe selbst 2. Schulffen oder Schalen von 467. Pfund in die Gottorfische Kunst-Kammer gegeben; wie die Auster in Indien außgezogen worde mit einem Ancker / haben 120. Personen darvon gegessen. Et vespertiliones anseris magnitudinem æquantes in Java Majore, testimonio Anderseii (Itin. Indic. X) et Testudines 300. ac quandoq; 500. librarum, ex nuperrimâ relatione Dn. de Bourges in Itiner. Ind.

Epi-



Episcop. Berytensis, de Insula Ascensione. (p. 179.) Mures etiam majores illos (*Rattas* vulgò nominant) similes porcellis, & ovinas caudas, XXV imò XXX. librarum exhiberi apud Indos Orientales autor iterum est *Anderfen*.

*Majores mures  
res porcellis  
nostris pares.*

Mirentur talia qui volent: dubitent, an in Natura sint, cum sint tamen; per me licet. Nunquam Elephantorum tur-rigera suspexi terga, vel immania in mari cete. *Plinium* hinc sequor potius, & laudo asserentem: *in magnis corporibus, aut certe majoribus facilis officina sequaci materia fuit. In his tam parvis, atq; tam nullis (qualia insecta sunt minora) quæ ratio, quanta vis, quàm inexplicabilis perfectio? ubi tot sensus collocavit in culice? Et sunt alia dictu minora. Sed ubi visum in eo prætendit? ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inseruit? ubi verò truculentam illam & proportionem maximam vocem ingeneravit?* Minima omnino magis animalcula merentur admirationem. Vide mihi quæso ista apud *Hockium*, ingeniosissimum Britannum, incredibilia phænomena in *Micrograph.* & *Kircheri* confer librum X. Luc. & umbr. part. 2. c. 8. In aceto, lacte, animalium pustulis & sanguine innumerabilem pullitiam bestiolarum nescio quarum tandem affatim scatere, inexpertum rerum harum omnium se prodit, qui inficiatur. Ars etiam in plurimis Naturam imitata polidædalam quot passim in Aulis atq; inter Proceres sistit paradoxa? Eburneas pateras 1600, grano piperis inclusas torno admirabili elaboratas Romæ vidit *Petrus Servius*, Pontificius Archiater. Artifex toreuta Sævus dicitur *Oswaldus Noringherus*. (*Serv. dissert. de mirac. nat. & artis, p. 65. n. 62.*) Non unius clepsydre ratio futura esset incredibilium artificiorum, quæ in Serenissimi Electoris-Principis, DN. & Nutricii mei Clemen-tissimi Technophylacio dignis ostentantur spectatoribus insignis copia.

*In minimis  
Natura ma-  
ximam mere-  
tur admira-  
tionem.*

*Ars pariter:*

Plurimum desinere, ac super sedere liceat probatione isthac, si staturâ tam enormi polleant Dracones, volare illos posse. Volent, quantum velint, quantum valeant; volârunt tamen & volabunt. Ultra maria volasse etiam, quis dubitet inter tot testes? Nihil frustra facere Natura solet; dedit alas ad volandum, uti pedes ad inambulandum. Pinnas istas epiphyses si quis asserat; dicat & in vesperilionibus ac piscibus volanti-



bus; sed videat, an non invitâ fiat veritate. Fatesmur potiùs cum D. Paterfonio: (ex Vol. 3. Ephem. Cur. Germ. obse. v. 139. p. 258.) de veritate rei, quod Dracones attinet, nihil dubitandum esse. Sed habemus confitentem reum, Amicum Candidum MAJOREM, dum sequenti V. capite, pro eo, quo excellit singulari & ingenio & amore veritatis, non audet ferè amplius tot testimoniis experièntiisq; adversari: cogi se deniq; ad fidem tot Autoribus habendam; in primis verò memorabile ac curiosum arbitratur, quod laudatus loco allegato observavit A. 1672. in Hungaria superiore Paterfonius. Tanta vis veri est, ut magnete efficacior vel ferri domina evadat.

Hos placido attritu provocasti ipsemet igniculos, Vir Celeberrime; in flammam mutui amoris valituros. Nunc ut pro tot egregiis transmisis scriptis tuis munusculo Epistolam obfignem, accipe MAGNETEM PHILOSOPHICUM, Luminis cœlestis retinaculum, PHOSPHORUM videlicet pro attrahendo AURO AURÆ, à liberali genio Chymici exercitatisimi DN. GLUCKENII profectum. Quem quâ moderari arte debeas, privatis literis monebo. Cætera omnia de eo copiosè tradidit Collegii Curiosi vestri laudatissimi ingeniosus *Hermes* DN. BALDUINUS. Mitto & MAJORI Tibi ex *Java Majore* fructum arboris lapidificæ impenetrabilem, figurâ pariter & magnitudine ovi Anserini, cujus ferrea medulla fuit. Habet aliquid de eo *Petr. Servius*, (de Ungvent. armar. edit. Rom. 1642. p. 43.) & *Job. Marcus Marci* (lib. 1. Idear. Operat. c. 1.) cujus utriusq; scripta dum occurrunt rariùs; benevolè communicavit Communis noster atq; Optimus Affinis, honoratissimus Collega atq; Compater, DN. D. MICHAEL SENNERTUS, cum Parente magno maximè de bonis universis apud nos meritus, à quo salutem debui adscribere. Tu interea vale, salve iterum, & constanter fave! Wittebergæ pridie  
Non. April. Anno clò Ioc LXXV.

